

DOCUMENTA GENERALIA, EX  
regulis Arithmeticae de minutis physicalibus, pro  
usu harum tabularum necessaria praemittere.



ANT O reuera digniorem primam causam iudicare debe-  
mus, quanto mirabiliora ab ea dependentem naturam  
operari uidemus, teste philosopho in libro de caelo & mun-  
do. Ex sui namque operatione extrinseca eius excellētia facile  
contemplamur. Voluit enim deus gloriosus & sublimis,  
cuius nomē sit in aeternum benedictum, & ultra, quicquid  
natura occulte operatur & intrinsece, per signa patefacere exteriora. Caelo  
igitur tot fulgentia impinxit sydera, ut rationalis creatura ad diuinā trini-  
tatis exemplar facta in ipso cūctia futura legeret, atque eo ordine uenientia in-  
telligeret, quo ab aeterno à diuina sunt prouidentia praeuisa, quod ex nul-  
la praeciante materia, omnique corruptione expers in rerum naturam pro-  
duxit, tot & stellis & motibus tam fixis quam errabundis ornauit, ut ista  
fuscitarent inferiora singula producendo, quae sub mobili sphaerae lunaris  
uertigine agitantur, nostrae denique ut forent ratiocinationis occasio.

Hinc Astrologicam scientiam sumpsisse exordium recte arbitramur. Sol  
enim atque Luna omnium in hoc mundo uiuentium uita sunt post Deum,  
inquit Hermes ille antiquus aphorismo primo &c. Astrorum igitur sa-  
pientes cum haec inferiora regi à superioribus intellexissent, iuxta illud Pto-  
lemæi: Vultus huius seculi subiecti sunt uultibus caelestibus, uerbo nono  
sui centiloquij. mutationum causas huius elementaris regionis, ex superio-  
ribus attendi debere concluderunt, dicente Philosopho: Solis motus in ob-  
liquo circulo est causa generationis & corruptionis istorum inferiorum.  
& secundo physicorum: Homo generat hominem & Sol. Volentes autē  
discretius deuenire in cognitionem causarum certiorum praedictorum, cō-  
ditiones super caelestium, & respectum quo ad nos & ad seipsa obserua-  
re tenentur. Quare prisca philosophantes zodiacum primi mobilis tanquam  
spacium, sub quo caetera mouentur mobilia, in duodecim intersitia dis-  
stinxerunt aequalia, ut rectius cuicumque intersitio quodcumque mobile, tem-  
pore quolibet subiaceret, cōprehenderet, quae duodecim signa appellarunt, eo  
quod uim signi haberent super elementis. Tales autem intercapedines cum  
essent maximae partes praedicti zodiaci, quamlibet in 30. minores, & sic to-  
tum in 360. gradus subdiviserunt zodiacum, eo quod gradientium plane-  
tarum successiuo ordine ascensum uel descensum perceptibiliter cōmonstra-  
runt. Cum itaque uniuersitas partium in hoc numero comprahenderetur,  
essetque ille numerus prope dies solares anni, tot sectiones intercapedinesue  
in circulo zodiaci assignarunt, inquit Albumazar differentia 2. tractatus  
2. Diuiserunt insuper gradum quemlibet in 60. particulas, quas minuta uo-  
cabat, eo quod iam minutae exiguaeque post gradus partes extabant. Parie-  
formiter minutum quodcumque in 60. secarunt aequalia, eaque secunda uocarunt,  
A eo quod

*Diuisio zodiaci  
12. signa.*